

## QUÆSTIO V.

*An etiamnum in Testamento Novo liceat observare Leges Veteris Testamenti?*

<sup>9</sup> Hæc quæstio potissimum est concepta de Legibus ceremonialibus, circa Sacrificia, Sacramenta, Sacra & caeremonias versantibus: nam Leges morales, seu naturales, aliunde sunt immutabiles: judiciales verò, etsi vi obligandi non amplius polleant, possunt tamen in politica Christiana pro libitu Imperantium reassumi. Itaque de caeremonialibus loquendò, certum videtur, & de fide, earum observantiam non amplius esse licitam. P. Victorianus Steidle *art. 12. per tot.* Siquidem, cum Leges ejusmodi fuerint prototypon Sacrificii & Sacramentorum novi

Testamenti, absque injuria Christi Domini, idem Sacrificium & Sacramenta instituentis, observari nequeunt. Posset enim verò nonneminem in mentem venire, quòd umbra esset clarior luce, figura nobilior figuratò, ancilla potentior Dominà, boves & oves excellentiores agnò immortali & immaculatò.

Quò verò sensu Apostoli per aliquod tempus judaizandò caeremonias legales Veteris Testamenti adhibuerint, ut nempe Judæi, videntes, Synagogæ suæ ritus à Christianis non contemni, facilius ad fidem converterentur, dilucidat *cit. Author d. l.*

## QUÆSTIO VI.

*Ex quibus Libris Testamenti Novi Leges sint addiscenda?*

<sup>13</sup> Indicem hic præbet supra commendatum. S. Concil. Trident. *sess. 4. in Decreto de Canon. script.* Sunt neque quatuor Evangelia secundum Matthæum, Marcum, Lucam, & Joannem; Actus Apostolorum, à Luca Evangelista conscripti; quatuordecim Epistolæ S. Pauli ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Collossenses, duæ ad Thessalonicenses, duæ ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hæbreos; Petri Apostoli duæ, Joannis Apostoli tres, Jacobi Apostoli una, Judæ Apostoli una, & Apocalypsis Joannis Apostoli.

*Si quis autem* (sunt formalia hujus Concilii) *libros ipsos integros* (intellige utriusque Testamenti) *cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, & in Veteri vulgata Latina editione habentur, pro Sacris & Canonicis non susceperit, & traditiones prædictas* (quæ nimirum sine scripto ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis, Spiritu Sancto dictante, quasi per manu traditæ, ad nos usque pervenerunt, tam ad fidem, quam ad mores pertinentes) *sciens & prudens contempserit, anathema sit.* Quæ de re ampliora scribunt Theologi.

## CAPUT IV.

## De Jure Gentium.

## SUMMARIA.

<sup>3. & seq.</sup> Jus Gentium non bene revocatur ad pacta. <sup>3. & seq.</sup> Immediata causa Juris Gentium est earum mutus & tacitus consensus. <sup>7. & 8.</sup> Mediata est DEUS. <sup>9. & seqq.</sup> Ostenditur, quomodo salvari possit distinctio inter Gentes, consideratas ut singulas & universas.

<sup>13.</sup> Attingitur quæstio de jure navigandi ad quosvis. <sup>14. & seqq.</sup> Referuntur argumenta Grotii. <sup>21</sup> Subsistunt illa, etiamsi mare non dicatur liberum. <sup>22.</sup> Quia jus navigandi videtur esse servitus naturalis, omnibus præbens usum.

## QUÆSTIO I.

*Rectene Jus Gentium ad pacta referatur?*

<sup>1</sup> IN nostra sententia, quam retulimus hoc *cap. à num. 14. & signanter num. 23.* id fieri non potest: cum enim Jus Gentium, æquè ac Naturale & Civile, nedum ab Imperatore Justiniano, sed etiam à plerisque Interpretibus numeretur inter species Juris Legalis; ex pacto econtrà non jus legale, sed privatum, proprium, ac particulare confurgat: ac præter hæc Jus constitutionis non feratur à personis privatis quàm talibus, sed à Superiore seu persona publica quàm tali; pactum verò inea-

tur à personis privatis, vel etiam à publicis, quatenus privatorum jure censentur: hætenus persuaderi non potui, ut decantatum illud & inviolabile Jus ac Legem Gentium in classem pactorum referrem.

Si dicas: Jus Gentium, etsi pactione mutua primitus introductum, adhuc dum speciebus Juris Legalis accenseri, quòd quælibet Gens in sua regione illud subditis per modum Legis præscribere valeat. Contra <sup>4</sup> est: quia Jus Gentium & nomen & efficaciam

## An Facultas navigandi ad quosvis in mari reducat &amp;c. 25

etiam fortitur à Gentibus, quatenus sunt Gentes, ac primariò afficit singularum provinciarum Rectores, Principes, & Capita, quibuscum inter se, tanquam supremos & liberos,

negotia vertuntur: adeoque rationem Legis habet ab ipsis Gentibus, & non earum subditis, respectu quorum in effectu potius Jus Civile appellari potest.

## QUÆSTIO II.

*Cujus auctoritate Jus Gentium sit conditum?*

<sup>5</sup> CONveniunt plerique, Jus Gentium mutuo earum consensu, per diuturnos & uniformes mores circa unam eademque materiam explicatò, immediatè fuisse conditum. Quam in rem bene disserit Wernherus in *Dissertat. Jur. Natur. dissert. 3. §. 14.* nec ab expresso, nec tacito pacto hoc Jus descendit; neque etiam per imitationem ab una Gente ad aliam pervenit, sed per hoc ipsum constitutum est, quòd plerique Gentes ea ratione certas actiones, quamvis non necessarias, utiles tamen socialitati esse, & proinde faciendas, judicaverunt. Ex hoc unanimi enim plerarumque Gentium consensu Jus natum de iis præcisè, ob commune omnium interesse faciendis; quod Jus proinde propter manifestam utilitatem ex earundem Gentium interpretatione, sive expressa sive tacita, ceteras quoque Gentes ad easdem actiones exequendas obligare aptum est.

<sup>7</sup> Præter hanc causam immediatam in *d. cap. num. 19. & seqq.* adstruxi aliam & mediatam, DEUM Opt. Max. prout est Author humanæ societatis, & Auspex omnis Politicæ, qui, quod Gentibus ad mutuum utilitatem placuit, sua auctoritate roboravit, spiritumque legalem indidit: salva juxta *num. 24.* ingenti differentia inter Jus Naturale & Divinum Positivum ex una, nec non Jus Gentium ex altera parte, dum illud immediatè à DEO, hoc immediatè à consensu & voluntate Gentium provenit. Alii quidem distinguunt inter

Gentes quàm universas, & quàm singulas, & sub priori consideratione Gentes volunt esse Authores & Conditores Legis; sub posteriori autem Gentes dicunt esse legibus subditas; ad eum ferè modum, quòd Populus in statu Democratico collectim imperat, & separatim ac sigillatim imperata exsequitur. Verum in *d. cap. num. 16. 17. & 18.* jam ostendi, prælibatam distinctionem & paritatem cum libertate & suprematu singularum Gentium vix componi posse. Forsitan tamen facilius esset alia explicatio & instantia, desumpta ex systemate plurium Civitatum, inter se absque Duce aut Imperante communi sociatarum: ibi enim quælibet Civitas, etiam seorsim considerata, manet suprema, juraque Summæ Potestatis in suos subditos independentem ab alia exercet; quædam tamen jura v.g. belli, pacis, fœderum, una sine altera in usum deducere nequit, sed, ut bellum, pax, aut fœdus decernatur, omnium Civitatum aut majoris partis assensu opus est expressis in *Jurisprud. Publ. univers. lib. 1. c. 4. à num. 77.* sicque Civitates quàm universæ & simul acceptæ Leges ferunt de bello & pace; quàm singulæ Leges latas exsequi videntur. Itaque & Gentes, quamvis ut singulæ jura Summæ Potestatis in suis ditionibus & provinciis exerceant, unaque alteri non sit obnoxia; ut universæ tamen seu collectim acceptæ Jus Gentium statuerunt, cujus observantia Gentibus singulis in particulari incumbit.

## QUÆSTIO III.

*An Facultas navigandi ad quosvis in mari reducat ad Jus Gentium?*

<sup>13</sup> PRidem mota est præsens quæstio, & acriter inter Lusitanos, Hispanos & Batavos agitata; è quibus ultimi, authore Grotiò in *Dissertat. de Mari libero*, affirmativam calamis & armis propugnârunt. Recruduit hæc controversia nostris temporibus, & quò minus ab eadem opinione affirmativa discedatur, stant etiamnum inconcussæ rationes Grotii. <sup>14</sup> Nam, ut ille discurret in *cit. Dissert.* statim in *cap. 1.* Juris Gentium regula est certissima: licere cuivis Genti quamvis alteram adire, cumque ea negotiari. DEUS hoc ipse per naturam loquitur, cum ea cuncta, quibus vita indiget, omnibus locis suppeditari à natura non vult: actibus etiam aliis alias Gentes dat excellere. Quid ista? nisi, quòd voluit, mutua egestate & copia humanas fo-

veri amicitias, ne singuli, se putantes sibi ipsi sufficere, hoc ipso redderentur insociabiles. Nunc factum est, ut Gens altera alterius suppleret inopiam, Divinæ justitiæ instituto, ut eò modò (sicut Plinius dicit) quod Gentium esset uspiam, apud omnes natum videretur. Hoc igitur qui tollunt, illam laudatissimam tollunt humani generis societatem, tollunt mutuas beneficiendi occasiones, naturam denique ipsam violant. Nam & ille, quem DEUS terris circumfudit, Oceanus, undique & undique versus navigabilis, & ventorum statim aut extraordinariis flatibus, non ab eodem semper, & à nulla non aliqua regione spirantes, nonne significant satis concessum à natura cunctis Gentibus ad cunctos aditum? Hoc Seneca summum



num naturæ beneficium putat, quod & ven-  
to Gentes locis dissipatas miscuit, & sua om-  
nia in regiones ita descripsit, ut necessarium  
mortali bus esset inter ipsos commercium...  
Hoc igitur jus ad cunctas Gentes æqualiter  
pertinet: quod Clarissimi Jurisconsulti eo  
usque producant, ut negent, ullam Rempu-  
blicam aut Principem prohibere in univer-  
sum posse, quod minus alii ad subditos suos  
accedant, & cum illis negotientur. Pa-  
rilia habet in cap. 8. in fine, commercandi,  
inquiens, libertas ex Jure est primario Gen-  
tium, quod naturalem & perpetuam causam  
habet: ideoque tolli non potest, & si posset,  
non tamen posset nisi omnium Gentium con-  
sensu: tantum abest, ut ullò modò Gens  
aliqua Gentes duas, inter se contrahere vo-  
lentes, justè impediat. Nec alia docet  
in cap. 13. ubi, si iusta, ait, multi & ipse Au-  
gustinus arma crediderunt eò nomine suscipi,  
quod per terras alienas iter innoxium nega-  
retur, quanto illa erunt justiora, quibus ma-  
ris; quod Naturæ Lege commune est, usus  
communis & innoxius postulatur? Si justè  
oppugnatae sunt Gentes, quæ in suo solo com-  
mercia aliis interdicebant, quid illæ, quæ Po-  
pulos, ad se nihil pertinentes, per vim disti-

nent, ac mutuos earum commeatus inter-  
cludunt? Si res ista in iudicio ageretur, 29  
dubitari non potest, quæ à viro bono exspe-  
ctari debeat sententia. Ait Prætor in l. 2.  
§. 9. ff. ne quid in loco publ. quò minus illi in flu-  
mine publico navem agere, ratem agere, quòvis  
minus per ripam exonerare liceat, vim fieri veto.  
Quæ Grotii ratiocinationes procedunt, etiam 21  
si contra ipsum doceretur, mare quoad do-  
minium non esse liberum (qua de re Clariss.  
D. Franciscus Josephus Herz in nuper edita  
præstanti elucubratione de Beato Cive p. 1.  
cap. 3. §. 7. à num. 7. consulendus) quippe  
cum de Jure B. & P. lib. 2. cap. 3. §. 12. aper-  
tè sic statuatur: illud certum est, etiam qui  
mare occupaverit, navigationem impedire  
non posse inermem & innoxiam, quando  
nec per terram talis transitus prohiberi po-  
test, qui & minus solet esse necessarius, &  
magis noxius. Quò etiam inclinant, 22  
Nicolaus Hertius in Dissertat. de Servit. Nat.  
Sess. 1. §. 10. & Engelbrechtus de Servit. Jur.  
Publ. Sess. 1. §. 5. adherentes, ex Jure Natu-  
ræ & Gentium per modum servitutis fluere,  
ne maris aut fluminis dominus illos, qui ibi-  
dem navigare cupiunt, ullò modò impe-  
diant.

## CAPUT V. De Jure Sacro, seu Canonico.

### SUMMARIA.

1. Concilium Pisanum non fuit authenticum. 2.  
& seqq. Probatur ex Card. Sfondrato. 5. Agi-  
tur de Concilio Constantiensi. 6. & seqq. Ejus  
Decreta in Sess. 4. & 5. non fuerunt legitima.  
9. Concilium Basileense fuit ab initio authenti-  
cum. 10. & seqq. De postea ab Eugenio IV. re-

vocatum, & improbatum. 13. & seqq. Ec-  
clesia Romana in Missa, S. Scriptura, & Legibus  
universalibus utitur lingua Latinâ. 16. &  
seqq. Leges, in lingua Italica editæ, non præsu-  
muntur universales, sed pro sola Italia con-  
ditæ.

### QUÆSTIO I.

An Leges & Decreta Concilii Pisani, Constantiensis, & Basileensis  
valorem habeant?

1. Resp. I. de Concilio Pisano, quod anno  
1409. ad tollendum schisma inter duos  
Pontifices Pisani in Tuscia indictum est, nul-  
las quidem Leges alias aut Decreta à Ludo-  
vico Bail in Summa Conciliorum exhiberi, nisi  
quod utrumque Pontificem, Gregorium XII.  
& Benedictum XII. exauthoraverit, ab  
utriusque partis Cardinalibus substitutò Ale-  
xandro V. Nihilominus ejus auctoritatem  
ab Eminentiss. Card. Sfondrato in Regali Sa-  
cerdot. lib. 2. §. 16. pag. num. 469. & seqq. non  
una ex ratione in dubium vocari. Nam,  
ut ille discit, certum quidem est, in Con-  
cilio Pisano fuisse Gregorium XII. & Bene-  
dictum XII. Pontificatu ejectos, electumque  
Alexandrum, sed non æquè certum, an jure  
id factum, & ex legitima potestate; nec pro-

pterea novi Pontificis electione cessavit du-  
bitatio, quis pro vero Pontifice habendus  
esset: nec sublatum schisma, imò, quod ple-  
rique eorum temporum Auctores notant,  
auctum potius, diffusumque novi Pontificis  
accessione, adeò ut, cum prius Ecclesia in  
duas, postea in tres factiones scinderetur, au-  
gente incertitudine Pontificum numero, eà  
ferè ratione, quâ in labyrintho, non idè  
certius eas, quia pluribus viis: & qui Gre-  
gorio ac Benedicto adhærebant, nec pro hæ-  
reticis aut schismaticis habiti sunt, quod vi-  
delicet multis nec inanibus rationibus nite-  
rentur, ut Concilio Pisano non subscribere-  
rent, nec satis de vero Pastore constaret;  
imò etiam Sanctos reperias, qui Concilio Pi-  
sano oblati sunt; inter quos S. Antoninus 4

3. p. tit. 22. cap. 5. §. 2. & cap. 6. §. 2. Pisanum  
Concilium, inquit, vel Conciliabulum, cum non es-  
set alicujus eorum, qui se pro Pontifice gerebant,  
auctoritate congregatum, non erat ablatum ipsum  
schisma, sed augmentatum ex duobus tribusve se  
pro Papa gerentibus; & alibi testatur: Grego-  
rium a multis, DEUM timentibus, & peritis, cre-  
ditum fuisse verum Pontificem tempore ejusdem  
Concilii.

5. Resp. II. mortuò intra annum Alexan-  
dro V. atque in ejus locum successit Joanne  
XXIII. cum Gregorius & Benedictus  
etiamnum pro Pontificibus agnosci euperent,  
atque à multis agnoscerentur, eundem Joan-  
nem XXIII. ut scribit cit. Sfondrato d. l. §. 17.  
pag. m. 485. auctoritate Sigismundi Romano-  
rum Imperatoris (cujus potentia indigebat)  
aut victum, aut deceptum Concilium Con-  
stantiam indixisse, eamque anno 1414. solen-  
ni pompâ inductum esse. Num verò ab  
initio illud Concilium fuerit legitimum, ip-  
siusque decreta vigorem obtinuerint? Latè  
& profundè discutit prælaudatus Cardin. d.  
pag. 485. & mult. seqq. ac præter ordinem &  
modum, aliàs in expediendis negotiis Con-  
ciliaribus, usitatum, hic verò non servatum,  
præprimis probat, id, quod Sess. 4. & 5. de  
superioritate Concilii supra Romanum Pon-  
tificem sancitum est, non pertinere ad Pon-  
tificem, legitime creatum, sed dubium, in-  
7 certum, aut hæreticum. Quæ de causa,  
dum uterque Pontifex, Joannes & Benedi-  
ctus, Papatu exuebantur, Gregorius verò  
sponte se abdicaverat, Cardinalis de Coloana,  
legitimè electione in Pontificem assumptus,  
dictusque Martinus V. Sess. 45. in Confirma-  
tione Concilii voluit omnia & singula determi-  
nata, & conclusa decreta in materia fidei per præ-  
sens Sacrum Generale Concilium Constantiense con-  
ciliariter tenere ac inviolabiliter observare, & nun-  
quam contravenire quoquò modò; ipsaque sic conci-  
liariter facta approbat, & ratificat, & non aliter,  
8 nec aliò modò. Præterea cit. Sfondrato  
allegat constitutionem d. Martini V. primò sui  
Pontificatus annò 6. Idus Martii editam, in  
qua nulli, inquit, fas est, à supremo Judice, vi-  
delicet Apostolica Sede seu Romano Pontifice FESU  
Christi Vicario in terris appellare, aut illius judi-  
cium in causis fidei (qua tanquam majores ad ip-

sum & Sedem Apostolicam deferenda sunt) decli-  
nare.

Resp. III. Concilium Basileense, ab Euge-  
nio IV. Summo Pontifice anno 1432. convo-  
catum, missò Basileam Cardinali Julianò, le-  
gitimum initium accepisse; postquam verò  
sequenti statim annò idem Eugenius, revo-  
catò Julianò, id dissolvi, gravibusque ex mo-  
tivis aliò transferri jussit, vim ac valorem,  
omnimodum amisisse; licet Patres quàmplu-  
rimi Basileæ subisterint, Eugenium illuc ci-  
taverint, & Amadeum Sabaudia Ducem sub  
nomine Felcis V. intruserint, prout sæpe  
laudatus Cardin. Sfondrato d. lib. 2. §. 18.  
pag. 515. & seqq. prolixè demonstrat, & inter  
alios testes adducit D. Antoninum 3. tr. 22.  
cap. 10. §. 4. qui Concilium Basileense, post-  
quam ab Eugenio dissolvi jussum, vocat con-  
ciliabulum viribus cassum, Synagoga Sathana,  
temerarium, & presumptuosum conventum. Et 10  
quàmvis Eugenius, ut refertur in Sess. 16. hu-  
jus Synodi, bullas & diplomata, à se contra  
Concilium data, nulla & inania fuisse declara-  
verit, ipsum verò Concilium fuisse legitime inchoa-  
tum, legitimeque continuatum: attamen juxta  
responsionem cit. Cardinalis pag. 520. illa de-  
claratio partim erat supposititia, à quibus-  
dam Cardinalibus taliter qualiter confecta:  
partim ex gravissimo metu extorta: partim  
ad rem non faciens: quippe cum Concilii  
quidem cursus & progressus, minimè verò  
Decreta Concilii probata legantur. Id 11  
quod Eugenius ex testimonio Cardinalis Tur-  
recremate in publica Disputatione Florenti-  
næ hincce verbis confessus esse refertur: nos  
quidem progressum Concilii approbavimus, volen-  
tes, ut procederet, ut inceperat; non tamen appro-  
bavimus ejus decreta: quis enim nisi imprudentis-  
simus Princeps approbaret decreta, qua nunquam  
vidisset, aut qua prius non examinasset, si in eis  
minus rectum, aut minus verum, aut minus ex-  
pediens reperiretur? Quid quòd Concilium 12  
Florentinum in Sessione publica anno 1439.  
declarationes Basileenses tanquam impias, scan-  
dalosas, in manifestam Ecclesiam scissuram ac om-  
nis Ecclesiastici Ordinis confusionem tendentes, dam-  
nat reprobetque? Idipsum faciente Concilio  
Lateranensi Sess. undecima, ubi Synodum Ba-  
sileensem appellat conciliabulum schismaticum,  
seditiosum, & nullius prorsus auctoritatis.

### QUÆSTIO II.

Quâ linguâ concipiendæ sint Leges Ecclesiasticæ?

13. Proponit hanc quæstionem Eminentiss. D.  
Cardinalis Vincentius Petra in Comment.  
ad Constitut. Apostol. tom. 1. pag. 10. & seqq. à nu-  
mer. 15. & ita resolvit: in Bullis & Constitu-  
tionibus Apostolicis servari linguam Latinam,  
& optimà quidem ratione: quia eadem lin-  
guâ utitur Ecclesia in Missa, Sacra Scriptura,  
ac in aliis suis Ritibus, prout etiam in Con-  
ciliis; & quoad Missas adest expressa prohi-  
bitio Sacri Conc. Trid. Sess. 22. cap. 8. quò mi-

nus linguâ vernaculâ possit recitari; prout  
etiam quoad versionem S. Scripturæ prohi-  
bitum extitit. Cùmque lingua Latina fuerit 14  
materna Romanorum, ut notat Glossa in  
verb. voce §. alienandis Auth. de non alienand.  
Summi Pontifices, qui à primo Præsule D.  
Petro in Urbe Sedem constituerunt, tali  
idiomate usi sunt etiam in Legibus & Con-  
stitutionibus: quia enim hæ Leges versantur  
circa totius Orbis Nationes, & usu fieri non



potest, ut omnium idioma complecterentur; ideo Latinò utuntur, omnibus magis communi, uti bene observavit etiam Imperator, in *d. §. alienationis auct. de non alienand.* mandans, ut Lex linguà communi sit condita; & quidem magis communis Latinà non est in præfenti: quia Hebraica apud paucos, Græca verò apud nonnullos eruditos floret.

Repetit hoc ipsum *cit. Card. pag. 12. num. 22.* certumque dicit, quoad Bullas & Constitutiones necessariam esse linguam Latinam: nam, cum dirigantur erga tot Nationes Orbis Christiani tot variarum linguarum subalternarum, debent proferri linguà communi dicitis Nationibus: & cum impossibile foret, condere Leges linguà singulis Nationi-

bus adaptabili; ideo Latina communior, & omnibus ferè Nationibus cognita, adhiberi capit.

An ergo constitutio Pontificia, idiomate Italò concepta, afficiat omnes Nationes extra Italiam? Quærit *cit. Eminentiss. Petra pag. 13. num. 31.* & occasione controversiæ, utrùm constitutio Innocentii XI. de taxâ Cancellariæ, verbis Italicis descripta, obliget solos Italos? Pro- & contra disserit, magis tamen inclinat in negativam: nisi enim aliunde constet, quòd S. Pontifex voluerit constitutione aliquà in lingua Italica constringere omnes Nationes, non vana est præsumptio, eam ad illos tantum, quibus materna lingua est Italica, coarctari.

## CAPUT VI.

### De Jure Civili Publico.

## CAPUT VII.

### De Jure Civili Privato.

Hæc duo Capita, cum in ipso Corpore tractatus, & alibi ad abundantiam sint explanata, non habent opus Supplementò.

## CAPUT VIII.

### De Rescriptis.

#### SUMMARI A.

1. & 2. In expediendis literis Apostolicis non erat semper idem modus. 3. Indicatur modus hodiernus, cum distinctione inter Brevia & Bullas. 4. & seqq. Describuntur observantia in Brevibus; 7. & seqq. Uti & observantia in Bullis. 10. & seq. Alia differentia inter Bul-

las & Brevia notatur. 12. Dispositio per rescriptum concessa est strictè interpretanda. 13. Indignantur exceptiones. 14. Potestas dispensandi recipit largiorem interpretationem. 15. Nisi ad unam causam aut personam coarctetur.

#### QUÆSTIO I.

##### Quenam sit differentia inter Bullas & Brevia Apostolica?

Summi Pontifices, literas seu rescripta Apostolica expedientes, non omni tempore morem uniformem servarunt. Nam, ut refert Eminentiss. Card. Vincentius Petra in *Comment. ad Constit. Apostol. d. tom. 1. pag. 4. numer. 4.* Agatho Papa signavit omnes literas cerâ, sed ob excrecentiam Pontificiorum diplomatum usus obtinuit, literas Apostolicas magni momenti plumbeò sigillò muniri, veluti tempore Stephani III. anno 410. vel Hadriani I. anno 772. servatum fuit. Verùm diplomata vetustiora se vidisse cum sigillo plumbeo signata, testatur Dominicus Raynaldus, nempe tempore Sylvestri Papæ in quadam Bulla, quæ reperitur in Archivio Arétino; & in Archivio Castri S. Angeli similiter asservari vetustissima diplomata in pa-

pyro ex frutice confecta, plumbeò etiam ob signata, Summorum Pontificum Leonis Primi, Gregorii Magni, ac Sergii.

Hodie duplex est modus rescribendi per Summos Pontifices, alter sinè sigillo plumbeo, & hæc literæ Brevia dicuntur; alter verò cum appositione sigilli plumbei, quæ literæ verè nuncupantur Bullæ, dum bullare idem est, ac sigillare.

Itaque Breve vocatur, ubi sinè appositione sigilli plumbei signum sit ex cera rubra cum impressione annuli piscatoris; quòd annulò D. Petrus usus fuisse narratur: unde & imaginem D. Petri, è navicula piscantis in mari, repræsentat. Scribiturque Breve in papyro seu membrana subtili, adhibito caractere latinò, nitidò, eleganti, ac intelligibili juxta nostrorum usum, uti loquitur

#### An dispensationes, per rescripta concessæ, &c.

tur *cit. Vincentius Petra pag. 5. n. 1.* Scribitur quoque in Breve nomen Summi Pontificis v. g. Benedictus XIII. per modum tituli in medio; & subscribitur à Secretario Breve, qui solet esse aliquis Prælati maximæ doctrinæ.

Bulla econtra vocatur, quæ habet sigillum plumbeum appensum, ac solenniori ritu pluribusque verbis conscribitur in membranis rudibus, & cum caractere Gallico, licet Latinò, ductò tali usu ab eo tempore, quò Sedes Apostolica residebat in Civitate Avenionensi, & moris esse cæperunt expeditiones Bullarum pro beneficiis reservatis & affectis.

Nec ponitur nomen S. Pontificis rescribentis in medio per modum tituli, sed à capite versiculi. Petra *d. l. pag. 9. num. 6.*

Repræsentantur autem in sigillo plumbeo imagines SS. Apostolorum Petri & Pauli, ita tamen, ut D. Petrus à dextris, & D. Paulus à sinistris videatur esse locatus: vel quia anti-

quis Romanis latus sinistrum habebatur pro digniori: vel quia ex veteri more erigebantur altaria conversâ facie ad occidentem, quæ hodie eriguntur versùs orientem; ex quo factum est, ut, quod primum erat à dextris, veniat à sinistris: vel quia, licet Paulus videatur à dextris, tamen introeuntibus in Ecclesiam, sicuti conspicientibus sigillum, videtur econtra, scilicet Petrus à dextris, & sic respectu populi locum dextræ occupat. Petra *pag. 15. num. 39. & seqq.*

Præter hæc idem Card. *pag. 9. numer. 7. 10* subjicit adhuc aliud discrimen inter Brevia & Bullas, quòd illa expediantur ante coronationem, dicaturque: à die suscepti Apostolatus; hæc verò solum à die coronationis, nisi subinde diutius differatur. Item in *pag. 10. 11 numer. 12.* advertit, in Bullis initium anni computari à die Incarnationis Dominicæ, scilicet 25. Martii; in Brevibus econtra à die Nativitatis Domini seu 25. Decembris.

#### QUÆSTIO II.

##### An dispensationes, per rescripta concessæ, latam aut strictam interpretationem mereantur?

Resp. distinguendum esse inter dispensationem, & potestatem dispensandi. Ipsa dispensatio, uti & ejus executio, regulariter strictam interpretationem meretur: hoc ipsò enim, quòd Jus commune relaxet, Juri inimica & odiosa censetur *cap. quòd contra 28. de R. J. in 6. l. quòd contra 141. in pr. ff. eod. cap. is. qui 1. §. ille verò de Fil. Presbyt. in 6. cap. quamvis 4. de Præbend. in 6.*

Exceptiones colligi possunt ex hoc *cap. 8. à num. 239.* ubi, quæ de privilegiorum interpretatione dicta sunt, ad dispensationes quoque extendi possunt.

Ex adverso potestas dispensandi, per rescri-

ptum alicui concessa, videtur largiorem interpretationem recipere: cum enim sit beneficium immediatum Summi Principis, nec tam contra Jus Commune quàm Jus Principis concedentis tendat, locum invenit regula, quòd beneficia Summorum Principum latius sint interpretanda per *cap. ex parte 27. de Decim. cap. quia circa 22. §. super eo de Privileg.* Nisi potestas dispensandi ad unam causam & personam coarctetur: quippe quæ potius dat facultatem exequendi dispensationem, quàm dispensandi. Clariss. P. Schmalzgrueber ad *tit. de Rescript. num. 31.*

## CAPUT IX.

### De Consuetudine.

#### SUMMARI A.

1. Datur vera consuetudo contra Legem. 2. Refertur opposita ratio. 3. & 4. Refellitur. 5. An consuetudo possit introduci viâ prescriptionis? Ratio dubitandi. 6. Firmatur sententia negativa. 7. & seqq. Enervatur ratio dubitandi.

10. Consuetudo per actus formaliter peccaminosos introduci potest. 11. & 12. Proponitur duplex argumentum in contrarium. 13. & seqq. Utrumque convenienti responsione dispellitur.

#### QUÆSTIO I.

##### An Consuetudo contra Legem sit vera Species Consuetudinis?

Opinio affirmativa hòc *cap. num. 30.* innuata & probata est. Pro cujus confirmatione plurimum conferunt rum feudales consuetudines, in quibus permulæ reperiuntur contra Leges Juris Civilis introductæ, nominatim in successione testamentaria & ab intestato: tum *cap. ult. de Consuetud. ubi*

Pontifex supponit, consuetudini suam vim & auctoritatem constare etiam contra Legem, si fuerit rationalis & legitime præscripta.

Dices: consuetudinem contra Legem nullum Jus introducere, sed magis Jus præexistens tollere; & si Jus novum inducat, uti



sæpe contingit in consuetudinibus feudalibus, habere mixturam consuetudinis præter Legem, eoque sensu fieri legitimam consuetudinis speciem. Sed

3 Contra est: partim quia consuetudo, et si Jus nullum positivum de novo introducat, introducit tamen Jus permissivum ac libertatis naturalis restitutivum, quod pro genuina Juris Legalis specie agnovimus in cap. I.

## QUÆSTIO II.

*Detúrne aliqua Consuetudo, quæ viâ præscriptionis introducitur?*

5 Volunt aliqui, quod sic: vel quia in cit. cap. ult. de Consuetud. requiritur, ut consuetudo sit legitimè præscripta: vel quia Jus, quod cæteroquin acquiritur mediante præscriptione, acquiritur etiam consuetudine. Quia

6 tamen præscriptio multis parafangis distat à consuetudine, uti ostensum in hoc cap. n. 12. & seq. ac in tract. seq. de Præscript. cap. I. n. 39. & seqq. non video, quomodo utraque in unam naturam coalescere, & consuetudo viâ præscriptionis consurgere valeat.

7 Nec obest cit. cap. ult. quia illa verba legitimè præscripta, debent intelligi eodem modo ac legitimè introducta, vel suis conditionibus, à Lege præscriptis, instructa: cæteroquin, cum verba sint generalia, ad omnem omnino consuetudinem extendi, sicque omnis consuetudo præscriptione introducta dici debet.

8 Neque etiam obest adducta ratio:

num. 73. partim quia, si Jus novum positivum introducat, non assumit in consortium consuetudinem præter Legem, sed manet & operatur tanquam consuetudo contra Legem, dum Jus aliud, priori è diametro contrarium, in Rempublicam invehit, abrogandò v.g. Clericis & foeminis jus succedendi, quod ex dispositione Legum Civilium habuerant.

tio: quia cæteris paribus quidem negari nequit, jus, quod paritur præscriptione, etiam consuetudine comparari posse: sed exinde nil minùs conficitur, quàm quod consuetudo acquiritur viâ præscriptionis: nam etiam unum idemque jus v.g. usufructus potest acquiri præscriptione, consuetudine, pactò, testamento, vel successione ab intestato: & tamen nemo inferet, quod pactum, testamentum, vel successio ab intestato coincident cum consuetudine vel præscriptione. Profectò ipsimet Authores contrarii vix dicere audent, consuetudinem, viâ præscriptionis acquisitam, esse speciem præscriptionis propriam & strictè talem: indeque, cum reipsa non ponant novam & propriam consuetudinis speciem, potiùs de nomine quàm effectu certare convincuntur. Malim igitur novam hanc speciem dissimulare.

## QUÆSTIO III.

*Utrum Consuetudo contra Legem possit introduci per actus formaliter malos?*

10 Docui hoc cap. à num. 48. cum multis, Consuetudinem posse introduci per actus formaliter malos; ex ratione autem subjuncta videtur deduci, consuetudinem contra Legem non posse aliter consurgere, quàm si actus formaliter mali præcesserint: utpote cum exerceri debeant ex scientia Legis præ-existent, cum intentione illam abrogandi: alioquin actus erronei & involuntarii sufficerent ad eam consuetudinem contra dicta d. cap. à num. 73.

11 Verùm oppones I. rariùs hòc modò consuetudinem contra Legem invalescere: quia rariùs accidit, ut tota communitas aut major ejus pars longò tempore scienter contra Legem peccet.

12 II. non esse necessarium, ut communitas specialem notitiam, constitutæ Legis habeat, sed sufficere notitiam generalem aut præsumptam: quippe cum principaliter ex consensu Legislatoris convalescat, tamen generalis & non specialis aut personalis sit.

13 Resp. ad I. non adeò rarum esse, ut tota communitas aut major ejus pars longò tempore contra Legem scienter peccet: cum sapiùs Legem, quam sibi non adeò convenientem existimant, plurimi de communitate

acceptare renuant, studiosè contra illam agentes. Aliàs non toties Summi Pontifices consuetudines, jam diu observatas, tanquam corruptelas improbassent: cum, ut loquitur Gregorius IX. in cap. ult. h. t. tantò graviora sint peccata, quanto diutius infelicem animam detineat alligatam.

Ad II. Resp. discrimen esse apertum inter 15 consensum Legislatoris & populi: siquidem Legislator, cum omnes mores & locorum consuetudines scire nequeat, meritò consensum generalem, in Legibus expressum, sufficere censuit: at populi notitiam & consensum specialem vel ideò desiderare potuit, & actu desideravit in §. sine scripto 9. Inst. de J. N. G. & C. l. de quibus 32. §. 1. l. sed ea 35. ff. de LL. quia nullus non populus scit aut scire debet, quas Leges sibi præstitutas habeat, quæ v. sibi commodæ sint aut incommodæ. 16 Nil in contrarium conferente, quod populus sit tantùm causa instrumentalis seu conditionata: tamdiu enim Legislator, seu causa principalis, consuetudinem per generalem consensum approbare non præsumitur, quamdiu apertò judiciò populi aut consensu utentium recepta aut approbata non fuit; prout ex textibus mox citatis patet.

SUP.

# SUPPLEMENTUM

AD

## TRACTATUM II.

DE

# PRÆSCRIPTIONE.

## CAPUT I.

*De Natura & Varietate Præscriptionis.*

### SUMMARIA.

1. Insinuat modus, probandi immemorialem. 2. & seq. Instantia contra annorum numerum in testibus. 4. Retunditur. 5. An testes deponere debeant de memoria suorum antecessorum? 6. & seqq. Explicatur, & roboratur nostra doctrina, in negativam inclinans. 12. & seqq. Speciatim exponitur celebris Glossa in cap. 1. h. t. in 6. vers. memoria. 16. &

17. Autoritate extrinsecà firmatur nostra opinio. 18. & seqq. An & quò sensu requiratur probatio de fama communi? 21. & seqq. An admittatur probatio per scripturam? 25. An præscriptio immemorialis debeat excedere centum annos? 26. & seqq. Adducuntur verba Card. de Luca. 29. & seqq. Afferuntur objectiones. 33. & seqq. Refutantur.

## QUÆSTIO I.

*Quomodo probetur Præscriptio immemorialis?*

1 Indicavi modum in hoc cap. à num. 89. & in specie in testibus, de immemoriali deponentibus, requisivi, ut sint ad minimum 54. annorum.

2 Hanc esse communem Doctorum, non inficiatur Clariss. P. Pichler in manipulo casuum Juridicorum casu 2. prænòt. 3. nihilominus advertit, non deesse, qui putant sufficere, si testes sint 52. vel 51. cum dimidio annorum: cum ex una parte pubertati vicini, v.g. 12. annos nati, jam possint scire aliquid cognoscere, & meminisse; ex altera verò parte

3 Jura non disponant, ut testes de tempore immemoriali pro toto tempore, de quo ferunt testimonium, sint puberes, sicut disponunt de testibus, in testamento solenni adhibendis, ut jam actu sint puberes.

4 Verùm ad hanc instantiam respondet Cardinalis de Luca de Jurisdic. disc. 3. num. 5. & 6. quod, licet testis, major factus, possit de illis deponere, quæ cadunt sub sensum corporis, non tamen possint de aliis deponere, quæ cadunt sub judicium intellectus, & quæ juris sunt, assignare debent concludentem scientiæ causam. Eodem modò respondent Covarruv. in reg. possessor part. 2. §. 3. num. 8. & Hieronymus Rocca Select. disputat. tom. 2. cap. 167. num. 26. & seqq.

An verò testes præcisè teneantur deponere, quod à suis etiam majoribus audiverint, rem in statu præsentis semper extitisse? Communissimè DD. affirmant cum cit. Cardinale de Luca de Judic. disc. 21. num. 60. & de Benefic. disc. 32. num. 6. & Rocca d. cap. numer. 22. inter quos me etiam recenset P. Pichler d. casu 2. pag. 45. Sed reverà id absolute non docui, uti patebit inspicienti mea verba in d. cap. n. 89. ubi ita scripsi: „Præscriptio immemorialis potest juridicè probari, & quidem sufficienter, si quatuor conditiones concurrant, quarum tertia est, ut testes asserant, se à suis etiam majoribus audivisse, quod res in statu præsentis semper extiterit &c. Et de hac conditione, dixi in num. 87. quod ea vel maximè firmet rationem temporis immemorialis, dum ex hoc, quod à majoribus acceperimus, possessionem usque & usque in moderno rerum articulo perstitisse, solidè inferimus, possessionis exordium nesciri per textum in l. si arbiter 28. ff. de Probat. En! nulli libi asserui præcisam necessitatem hujus conditionis, sed, quod in concursu aliarum conditionum sufficiat ad probandum tempus immemoriale, juxta receptissimam opinionem, ostendi; abstrahendò ab altera quæstione, an non etiam sufficienter probetur immemorialitas.